De praepositionis a cum nominibus urbium junctae apud Livium maxime usu. "Programm des Altstädtischen Gymnasium zu Königsberg 1843. angezeigt in Mützells Jahrb. B. 43, p. 207 ff.

Ueber ne — quidem und über nec — quidem bei Livius von Karl Schreiber im Philologus Tom V, H. 1, p. 132 ff.

ILLUSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCXCVII. ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

Dr. EDUARDUS WUNDERUS

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS.

Inest

Carol. Hermann. Löwii, colleg. VIII.: Disquisitio de praepositionis *de* usu apud Livium.

TYPIS OFFICINAE GRIMENSIS.

1847.

praepositionis ab cum nominibus [illegible] [illegible]
[illegible] maxime usw. "Programm des Altstädtischen Gymnasiums zu
Königsberg 1843." angezeigt in [illegible] Jahrb. 1843, p. 207 ff.

Ueber ne. statt ne – quidem und über nec – quidem [illegible]
von Karl Schrader im Philologus Tom V, H. 1, p. 132 ff.

ILLUSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCXCVII. ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

Dr. EDUARDUS WUNDERUS.

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS.

Inest

Carol. Hermann. Löwii, colleg. VIII.: Disquisitio de praepositionis *de* usu apud Livium.

TYPIS OFFICINAE GRIMENSIS.

1847.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Disquisitio de praepositionis „de“ usu apud Livium.

Quod *Ioh. de Gruber* scripsit in programmate Sundensi anni MDCCCXLIII, raro e Lexicis nostris cognosci posse, num verbum aliquod apud singulos scriptores plus minusve usitatum esset, aut qua quodque significatione et compositione esset usitatissimum, immo quum rarioris difficiliorisque usus exempla diligentius colligerentur, quam soliti et vulgaris, saepissime fieri, ut ille parcior usus frequentior esse videatur quam hic tritior, id etiamsi non ex omni parte verum est, illud tamen profecto verissimum, nisi ex omnibus omnium aetatum scriptoribus et Latinis et Graecis singula vocabula accuratissime tractentur, magnos in lexicis condendis progressus exspectari non posse. Nam paucis tantum exceptis omnis lexicorum scribendorum ratio in eo maxime ponitur, ut aut quae a vulgari vocabulorum usu abhorrere quaeque rarius dicta coniunctaque videantur e commentariis colligantur collectaque in lexica rescribantur, aut id potissimum spectetur, quo ordine vocabulorum significationes digerantur et qua ratione discentium maxime usui accommodentur. Quae quum ita sint eorum omnium, qui nunc hanc doctrinam plus quam adhuc factum est, augeri cupiunt, primam maximamque curam hanc in posterum esse necesse est, ut aut in singula inquirant vocabula, quod a nonnullis viris doctis, et iis admodum paucis, praeclare institutum est, aut unius tantum alteriusve scriptoris lexica componant, quale accuratissimum diligentissimumque lexicon Quintilianeum *Eduardi Bonnell* iure tanquam exemplum

proponi possit. Quantus quidem labor ad tales quaestiones adhibendus sit, quantaeque eae simul molestiae nonnunquam sint, quanquam satis et illi experti sunt, qui se his studiis iniunxerunt, et iis notum est, qui omnino grammaticorum studiis imbuti sunt, tamen ad eum statum illius doctrinae pervenisse nos, quo accuratissime pervestigandis omnibus omnium aetatum scriptoribus eam augere debeamus, vix quemquam invenies qui negaverit, nec universa potissimum linguae Latinae lexica, sed aut singuli alicuius scriptoris aut de singulis vocabulis quaestiones nunc desiderari apparet.

Hac igitur scribendi opportunitate oblata quod et discipulis aliquam utilitatem afferre nec antiquis literarum studiis operam meam qualemcunque deesse volui, utrumque finem optime consequi me posse putavi, si usum cuiusdam vocabuli ex uno alterove eoque ampliore scriptore accuratius explicare atque adumbrare studerem. Elegi autem argumentum e T. Livii libris, quod et parum quae propria Livianae orationis sit ratio constat, et pro magno eorum librorum numero haud exigua est de singulis quaerendi difficultas. Argumentum autem illud *de* praepositionis usus est et valde diversus apud Livium nec iniucundus ei qui ex eius generis quaestionibus aliquam capit voluptatem. Neque vero etiam inutilem in me suscepisse laborem putaverim, si omnes, quibus Livius illam praepositionem iunxerit, notiones uno conspectu atque ordine quodam proponerem, quum neque ex Glossario Liviano s. h. v., quod ex schedis *Augusti Guilielmi Ernesti* emendatum locupletatumque ediderunt *Godofr. Henr. Schaefer* et *Ioannes Theophilus Kreyssig* multiplex eius vocis usus satis conspici possit, neque in aliis vocabulis, quibus plerumque iuncta illa praepositio apud Livium est, eius rei ratio ut par est habita sit. Etenim in glossario illo haec tantum, quae eorum gratia quibus ipsum non ad manum est transscribenda putavi, leguntur:

De tertia vigilia 9, 44. *it.* 40, 4. h. e. *simulac duo quadrantes noctis exissent*,

de die epulati 25, 23. (*vid. ad voc. dies*),

dictator — primus de plebe dictus est 7, 17.,

concessumque *ab* nobilitate plebi *de* consule plebeio; *a* plebe nobilitati *de* praetore uno, qui ius *in* urbe diceret, *ex* Patribus creando 6, 42.,

oppidum de Samnitibus vi cepit 10, 39. *cf.* 27, 1.,
de vestro impendatis 6, 15.,
de lucro tibi vivere me scito 40, 8.,
legatis — de ea re trans Alpes missis 39, 22.,
de altero Massinissae filio — litterae allatae sunt 45, 14.,
tanquam integra sit caussa patriciorum de sacerdotiis 10, 8. *pro* quoad.
qui de ceteris Maximo assensus, de Scipionis caussa dissensit 29, 20.,
de se ingentia polliceri 1, 47. (*a sua parte*),
qui de quacunque caussa tum aspernati nostra auxilia estis 45, 23.

Quid igitur ego mihi proposuerim, habes, idque propositum ita persequi studebo ut notionibus primariis praepositionis qua de agitur in capita quaedam descriptis omnes locos eo transscribam, quo vocis ratio visum erit requirere. Nam de universa huius praepositionis in lingua Latina vi ac potestate disputare atque inde significationum qui videatur optimus ordinem constituere nunc quidem nec propositum est et maioris est operae ac longinquioris laboris. Quod autem ad textum Livianum attinet Alchefskii potissimum editionem secutus sum.

I. *Ac primum quidem quum in universum de praepositio cum iis vocabulis coniungatur, quae dirimendi habeant notionem, earum autem rerum, quae dirimuntur, ea natura possit esse ut* 1, *aut inter se diversae* 2, *aut aequales sint*, age iam prioris generis notiones, quae cum praepositione illa coniungantur, recenseamus:

1) *Revocatus* de exilio Camillus 5, 46. M. Furium revocatum de exilio 27, 34. Cottidie de foro addictos *duci* 6, 36. si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset 31, 21. ut de exercitu voluntarios quos posset duceret 31, 8. *Deduxit* exercitum de Samnio 10, 46. quibusdam de praesidiis deductis 25, 37. sic: de provincia 28, 9. 40, 35. 41, 14. et translate: de capite deducite, quod usuris pernumeratum est 6, 15. eodemque modo 6, 35. deducere homines novos de sententia 4, 48. Ut collegam vi de foro *abducerent* 2, 56, 1. et: ne populum de foro abduceret 23, 23. Nec ante *moverunt* de sententia consulem 3, 21. (consul) ne tum quidem de sententia motus 39, 39. *Tracti* inde de medio omnes 28, 29. qui de condicionibus superioribus pacis

proponi possit. Quantus quidem labor ad tales quaestiones adhibendus sit, quantaeque eae simul molestiae nonnunquam sint, quanquam satis et illi experti sunt, qui se his studiis iniunxerunt, et iis notum est, qui omnino grammaticorum studiis imbuti sunt, tamen ad eum statum illius doctrinae pervenisse nos, quo accuratissime pervestigandis omnibus omnium aetatum scriptoribus eam augere debeamus, vix quemquam invenies qui negaverit, nec universa potissimum linguae Latinae lexica, sed aut singuli alicuius scriptoris aut de singulis vocabulis quaestiones nunc desiderari apparet.

Hac igitur scribendi opportunitate oblata quod et discipulis aliquam utilitatem afferre nec antiquis literarum studiis operam meam qualemcunque deesse volui, utrumque finem optime consequi me posse putavi, si usum cuiusdam vocabuli ex uno alterove eoque ampliore scriptore accuratius explicare atque adumbrare studerem. Elegi autem argumentum e T. Livii libris, quod et parum quae propria Livianae orationis sit ratio constat, et pro magno eorum librorum numero haud exigua est de singulis quaerendi difficultas. Argumentum autem illud *de* praepositionis usus est et valde diversus apud Livium nec iniucundus ei qui ex eius generis quaestionibus aliquam capit voluptatem. Neque vero etiam inutilem in me suscepisse laborem putaverim, si omnes, quibus Livius illam praepositionem iunxerit, notiones uno conspectu atque ordine quodam proponerem, quum neque ex Glossario Liviano s. h. v., quod ex schedis *Augusti Guilielmi Ernesti* emendatum locupletatumque ediderunt *Godofr. Henr. Schaefer* et *Ioannes Theophilus Kreyssig* multiplex eius vocis usus satis conspici possit, neque in aliis vocabulis, quibus plerumque iuncta illa praepositio apud Livium est, eius rei ratio ut par est habita sit. Etenim in glossario illo haec tantum, quae eorum gratia quibus ipsum non ad manum est transscribenda putavi, leguntur:

De tertia vigilia 9, 44. *it.* 40, 4. h. e. *simulac duo quadrantes noctis exissent,*

de die epulati 25, 23. (*vid. ad voc. dies*),

dictator — primus de plebe dictus est 7, 17.,

concessumque *ab* nobilitate plebi *de* consule plebeio; *a* plebe nobilitati *de* praetore uno, qui ius *in* urbe diceret, *ex* Patribus creando 6, 42.,

oppidum de Samnitibus vi cepit 10, 39. *cf.* 27, 1.,
de vestro impendatis 6, 15.,
de lucro tibi vivere me scito 40, 8.,
legatis — de ea re trans Alpes missis 39, 22.,
de altero Massinissae filio — litterae allatae sunt 45, 14.,
tanquam integra sit caussa patriciorum de sacerdotiis 10, 8. *pro* quoad.
qui de ceteris Maximo assensus, de Scipionis caussa dissensit 29, 20.,
de se ingentia polliceri 1, 47. (*a sua parte*),
qui de quacunque caussa tum aspernati nostra auxilia estis 45, 23.

Quid igitur ego mihi proposuerim, habes, idque propositum ita persequi studebo ut notionibus primariis praepositionis qua de agitur in capita quaedam descriptis omnes locos eo transscribam, quo vocis ratio visum erit requirere. Nam de universa huius praepositionis in lingua Latina vi ac potestate disputare atque inde significationum qui videatur optimus ordinem constituere nunc quidem nec propositum est et maioris est operae ac longinquioris laboris. Quod autem ad textum Livianum attinet Alchefskii potissimum editionem secutus sum.

I. *Ac primum quidem quum in universum de praepositio cum iis vocabulis coniungatur, quae dirimendi habeant notionem, earum autem rerum, quae dirimuntur, ea natura possit esse ut* 1, *aut inter se diversae* 2, *aut aequales sint,* age iam prioris generis notiones, quae cum praepositione illa coniungantur, recenseamus:

1) *Revocatus* de exilio Camillus 5, 46. M. Furium revocatum de exilio 27, 34. Cottidie de foro addictos *duci* 6, 36. si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset 31, 21. ut de exercitu voluntarios quos posset duceret 31, 8. *Deduxit* exercitum de Samnio 10, 46. quibusdam de praesidiis deductis 25, 37. sic: de provincia 28, 9. 40, 35. 41, 14. et translate: de capite deducite, quod usuris pernumeratum est 6, 15. eodemque modo 6, 35. deducere homines novos de sententia 4, 48. Ut collegam vi de foro *abducerent* 2, 56, 1. et: ne populum de foro abduceret 23, 23. Nec ante *moverunt* de sententia consulem 3, 21. (consul) ne tum quidem de sententia motus 39, 39. *Tracti* inde de medio omnes 28, 29. qui de condicionibus superioribus pacis

omnia *subtrahas* 30, 31. Tres *eiecti* de senatu 40, 51. sic de senatu novem eiecerunt 41, 27. Antennis de nave in navem *traiectis* 30, 10. Cum de foro se domum *reciperet* 6, 34. Quod de provincia *decessisset* 29, 19. sic: 31, 50. 38, 42. 40, 35. 42, 8. et: decedenti de praesidio 36, 14 et translate: de officio decessum 8, 25. Ut eum de provincia *discedere* iuberent 29, 20. et: de colloquio discessum 32, 40. De provinciis *redierunt* 37, 46. qui in iis locis de Hasdrubalis exercitu *substiterat* 31, 10. quum de petitione *destitisset* reus 37, 58. *Emissus* hostis est de manibus 21, 48. emisisse de manibus ea quae 44, 8. *remittendo* de summa quisque 4, 43. sic: 5, 12. signa militaria quattuor de ala duo de legione *amissa* 27, 12. Hannibalem excidisse de memoria 29, 19.

Inprimis huc pertinent verba quibus capiendi sumendive notio inest: De priscis Latinis *capta* oppida 1, 38. sic: 10, 39. Ferentinum de se captum 4, 56. sic addito urbis nomine 9, 38. 27, 1. Tempsanus ager de Bruttiis captus erat 34, 45. sic de agro capto 35, 40. 37, 57. 40, 29. 41, 13. 45, 44. naves captae de Macedonibus 45, 42. sic: de Gentio rege captos (lembos) 45, 43. quae capta de hostibus dicerentur 26, 34. Quam plurimos poterat de fuga *excipiens* 27, 19. Isque eam (deam) de nave accipere (iussus) 29, 40. Fiducia quae non de nilo profecto *concepta* 30, 29. sic: 44, 22. Spolia de hostibus *lecta* 40, 32. Tegulae *expositae* de navibus 42, 3. De auctoribus supplicium *sumpsit* 29, 8. sic: 3, 13. 32, 26. 34, 21. de captivis sumptum supplicium est 3, 18. sic passive: 4, 13. 23, 3. 26, 15. 39, 29. Clipeaque de columnis *dempsit* 40, 51. quocum conferas: dimidium de fronte demptum 33, 8. et translate: demptum de vi magistratus populi libertati adiicere 3, 33. ut de stipendio militum aera demerentur 7, 41, 1. *Eximendo* de nervo cives vestros 6, 15. et translate: eximendum id de foedere esse 24, 29. Neque de eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet, quicquam *minui* 23, 25. *Auferri* aurum de medio iubet 5, 39. abstulerunt me velut de spatio Graeciae res immixtae Romanis 35, 40. Hostis de foro tollere 3, 19. translate: se de tribunis intercessionem sustulisse 5, 29. De mensa oleas quoque praegustasse mures, in prodigium versum est 40, 59. — Fortasse huc referenda sunt: neque de equitum centuriis quicquam *mutavit* 1, 36. sic mutare quicquam vel nihil

de aliqua re 1, 43. 4, 6. 23, 28. 26, 28. 27, 22. 38, 35. et: de consule mittendo in Asiam mutandum 37, 51. — His accedunt haec translatae notionis vocabula: *Quaero* de te 4, 40. sic: 8, 31. 40, 35. Rem quam de te sum quaesiturus 6, 15. De transitu Gallorum haec *accepimus* 5, 34. Quantum periculum ab illis populis fuerit, si Capitolium ab exulibus obsessum scissent, *suspicari* de praeterito quam re ipsa experiri est melius 3, 19. extr. His proxime addenda putavimus vocabula victoriae, triumphi, tropaei, palmae, praedae, quae quidem omnia, quoniam e populo devicto relata cogitantur, proxime accedunt ad capiendi et similium verborum notiones. Cui tot de Romanis ducibus *victoriam* di dedissent 30, 30. sic: victoriam de Veientibus dari 5, 15. quantaecunque, de Romanis tamen, victoriae partae fama 27, 31. sic: victoria de Philippo virtute Aetolorum parta 35, 48. extr. nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis 42, 61. Denique victoriae vocabulum cum *de* praepositione coniungitur aut addita voce esse: Ut clarior nobiliorque Romanis victoria de rege Antiocho fuit, quam de Gallis: ita laetior sociis erat de Gallis, quam de Antiocho 38, 37. aut non addita: Anno insigni victoria de tot ac tam potentibus populis — successere consules cet. 8, 12. sic: Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus 21, 46. monumentumque victoriae eius de Poenis — fuisse in templo clipeum 25, 39. et paene victoriae, utique de Antiocho rege, maiore parte ad se vindicata 44, 14. et translate: cum Canuleius victoria de patribus et plebis favore ingens esset 4, 6. — Integrum de Samnitibus *triumphum* mecum petite 7, 32. De quibus hostibus triumphum peteres? de iis, quos — 38, 46. Neque triumphum de iis postulare, et paullo post: se de Gallis Boiis postulare triumphum 36, 40. Sic huic L. Scipioni, sic illi M'. Acilio de rege Antiocho, sic paullo ante T. Quinctio de rege Philippo, sic P. Africano de Hannibale et Poenis et Syphace triumphus datus 38, 46. sic: 38, 52. et passive: quemadmodum non de Pyrrho modo, nec de Hannibale, nec de Philippo, sed de Epirotis Carthaginiensibusque et Macedonibus triumphi acti sunt 45, 38. et sic: 7, 16. 7, 25. 38, 17. 38, 52. 41, 14. triumphatum nuper de Philippo, patre huius, et de Antiocho est. Ambo regnabant, quum de his triumphatum est. De Perseo capto, in urbem cum liberis abducto, non triumphabitur? 45, 39. init. Sic

triumphare de aliquo: 2, 38. 3, 10. 3, 63. 6, 16. 7, 11. 7, 15. 7, 19. 7, 38. 8, 40. 9, 43. 9, 45. 10, 13. 10, 30. 31, 49. 33, 23. 33, 37. 36, 40. 37, 46. 38, 51. 39, 5. 39, 42. 41, 7. 41, 10. 45, 38. 45, 41. 45, 43. et translate: velut triumphantes de lege victa et abrogata 34, 3. De accessione potius belli, quam de bello triumphari mavultis? 45, 39. Denique solum triumphi vocabulum cum de praepositione coniunctum: Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Poenis, ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani, dicuntur? 45, 38. ad triumphum decessit de Samnitibus 10, 46. translate: Ut hunc triumphum de cive vestro spectetis 23, 10. — Nunc nostra de Atheniensibus *tropaea*, nunc tua de nobis ostendat 25, 29. — Ut vos de P. Africano *palmam* peteretis 38, 53. *Praedam* de Philippo Romanorum esse 35, 12.

Capiendi similiumque vocum notioni cognata sunt *eligendi creandique* vocabula. Ac primum quidem ipsum capiendi vocabulum similiter usurpatum invenies hoc loco: Bove eximia *capta* de grege 1, 7. Iam vocabula illa ordine quodam deinceps proponamus: Pedites equitesque de exercitu Cannensi *legit* 29, 24. is quoque de exercitu quinque millia legeret 31, 8. Ipse de toto exercitu civium sociorumque quod roboris erat *delegit* 27, 53. Senatus liberam potestatem consulibus fecit *eligendi* de omnibus exercitibus quos vellent 27, 38. Ut quinque augures de plebe omnes *adlegerentur* 10, 6. et paullo post: quia de plebe adlegebantur, ibid. Ut populo potestas esset seu de plebe seu de patribus vellet consules *faciendi* 4, 1. Quo minus quattuor quaestores promiscue de plebe ac patribus *fierent* 4, 43. sic: 6, 42. 8, 15. 10, 8. 10, 15. De decemviris sacrorum ex parte de plebe *creandis* 6, 42. et: Creantur augures item de plebe 10, 9. Magistrum equitum item de plebe C. Plantium *dixit* 7, 17. C. Licinio magistro equitum de plebe dicto 6, 39. sic: 7, 17. Cum his conferenda sunt: Nemo de plebe consul *fuit* 4, 4. Qui primus dictator de plebe fuerat 7, 22. et: Primus de plebe consul 7, 6. Denique ad hanc significationem referenda sunt haec: Militibus de praeda quinquagenos denarios *dedit* 40, 43. de praeda parcius dederat 45, 35. de praeda militibus dedit 45, 43. collega Corvo de plebe M. Popillius Laenas consul datus est 7, 26. *Additur* ei de plebe collega 35, 2. additis quattuor cohortibus de exercitu suo 31, 2. De ea summa militi *numeratum* est 45, 34. *Suppleret*

de legionibus, quibus — 26, 1. et: supplementum de exercitu Cn. Fulvii, ibidem.

Universi motus notio ad loca superiora translata plerumque descensum significat, ita ut *de* vernacula reddendum sit, *von — herab*. Verum hoc non in ipsa praepositione inesse, iis locis demonstratur, quibus de praepositione is locus significatur, unde quid assurgat, ita ut vernacula dicendum sit: *von — auf*, cuius generis unum tantum exemplum in Livii libris invenire potui, cf. infr.*).

Deduci eum de rostris iussit 8, 33. de montibus multitudinem in campos deduxit 39, 2. — Fulmina *iaci* de coelo 28, 27. Tribuni de saxo Tarpeio *deiecerunt* 6, 20. virgis in comitio caesi omnes ac de saxo deiecti 24, 20. et: de saxo deiiciuntur 25, 7. et translate: de possessione imperii vos deiicere conatus 45, 22. nec quidquam de maiestate sua *detractum* credere 6, 6. — Dicitur panis de capitolio iactatus esse 5, 48. De iugis quae ceperant, venduntur 9, 43. Patricios primo esse factos, non de coelo *demissos* 10, 8. Multitudo cum de turre sese *praecipitaret* 23, 37. — *Degressos* modo de montibus 4, 33. De templo descendit 1, 18. sic: 44, 45. 5, 46. 8, 33. 23, 23. 40, 38. 6, 18. De tribunali *decurrit* 4, 50. *Devolant* de tribunali 2, 29. et translate: sibi de coelo devolaturam in sinum victoriam 7, 12. *Salire* de muro 25, 24. — De capite signum in manus prolapsum 27, 11. — Lapidem de coelo cecidisse 41, 9. — Vejis de coelo lapidaverat 27, 37. sic: 29, 14. cum quibus conferas: invento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de coelo lapidatum inspectis 29, 10. *Intervenit* de coelo, quod comitia turbaret 40, 42. — De tectis moenibusque dimicare 1, 15.

Huc etiam referendum videtur quod persaepe apud Livium dictum invenias de *coelo tangi*, et quoniam reliquarum significationum quanta maxima poteramus diligentia omnes collegimus locos, hic etiam omnes adscripsimus: 22, 36. 24, 10. 44. 25, 7. 26, 23. 27, 11. 23 bis. 25, 37 bis. 28, 11 bis. 29, 14. 30, 38. 32, 1. 9. 29. 33, 26. 35, 9. 21. 36, 37. 37, 3. 39, 22. 40, 2. 41, 16. 45, 16.

---

*) Cf. Hand. Tursellinus, s. v. vol. II, p. 192.

Descensus notionem non in ipsa praepositione inesse *) comprobatur hoc loco: Multis hominibus iumentisque foede amissis cum tandem de paludibus *emersisset*, ubi primum in sicco potuit castra locat 22, 3. init. cum quo conferas: Navium speciem de caelo adfulsisse 21, 62. ubi reddas: *am Himmel her*.

2) Ad alterum notionum genus accedentes, quo partem aliquam de toto secerni vel dirimi significatur (qua in re de praepositio haud raro genitivi casus vicem praestat) eodem modo, quo antea voces, quibus constructionis quasi cardo vertitur literis oblique positis significabimus, quo uno quasi conspectu comprehendi possint.

Quem eam rem velit senatus quaerere de iis qui praetores nunc sunt 38, 54. Sunt etiam de nostris *quidam* 22, 59. *Unum* de auxiliaribus mittit ad eum 35, 29. Sic: de exercitu Romano *quinquaginta* et *tres* amissi 35, 1. quocum conferas: signa militaria *quattuor* de ala, *duo* de legione amissa 27, 12. Porro: de exercitu Romano *centum novem* ceciderunt 40, 48. Romani de duabus legionibus milites paullo plus ducenti cecidere 40, 32. de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis *trecenti* 42, 58. Casilinum firmatum *septingentorum militum* de exercitu Hannibalis praesidio 23, 30. *mille milites* de exercitu urbano eodem in praesidium cum frumento missi sunt 27, 3. ad *mille* et *ducenti* de exercitu consulis interfecti 29, 36. *mille* ferme et *septingenti* de duabus legionibus occisi 27, 14. duo millia de legione *militum* 27, 38. *duo millia* et *trecenti* de exercitu praetoris 30, 18. supra *quattuor millia* et *trecentos* de exercitu consulis cecidisse 42, 66. sex millia de exercitu Romano cecidisse 37, 46. Tum: Ut vix *quarta pars* de toto exercitu evaserit 35, 30. Denique his annumerandi videntur hi loci: Quod circa signa roboris de exercitu fuit 4, 46. Vagos *milites* de exercitu P. Africani sacramento rogasse 35, 2. Ut *desertores* de exercitu volonum conquirerent 25, 22. Ceterum cum ibi tribuni militum quattuor essent, Fabius Maximus de legione prima, et de legione secunda L. Publicius Bibulus et P. Cornelius Scipio, et de legione tertia Ap. Claudius Pulcher, qui proxime aedilis fuerat, omnium consensu cet.

*) Vid. ephem. antiqu. liter. Oct. 1846. nr. 109. confr. etiam Ov. fast. 2, 354. 5, 228.

22, 53.*) tribuni militum de legione secunda M. Ogulinus et P. Claudius 33, 36. — Cum his comparare licet ea vocabula, quae eligendi, dandi, addendi, numerandi, supplendique notionem habent quorum qui apud Livium inveniuntur loci omnes supra exscripti sunt.

His addendae sunt locutiones eae, quibus impensarum notio inest.

Stipendium *de publico* statuit 1, 20. sic: 2, 16. 4, 59. 22, 60. Largiendo *de alieno* 3, 1. Decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus *de suo* quisque functus eo munere esset 4, 59. *De vestro* impendatis, hortor 6, 15. Porro comparandae cum usitatis illis locutionibus sunt hae: *Deque praeda* manubiis spoliisque honorem habetote (Pythio Apollini) 23, 11. Reliquo aere aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit 10, 46. sic: de manubiis duos fornices fecit 33, 27. eos (ludos) uti de manubiis faceret 36, 36. *De spoliis* vide modo locum e 23, 11. transscriptum. Donaque ad omnia pulvinaria dabuntur *de pecunia* quantum senatus decreverit 36, 2. cum quo loco compares: toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant: ii primi de incerta 31, 9. *De argento* multaticio tria signa aenea Cereri posuerunt 33, 25. *De multa* damnatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae 35, 41. *De lucro* tibi vivere me scito: iam non occultis a fratre petimur insidiis 40, 8.

II. Iam ad alteram *de* praepositionis notionem accedamus, qua minus hoc quod unum dirimatur ab altero, respicitur quam eius potissimum, a quo quid dirimatur, initii igitur exitusque, ratio habetur.

1) De tempore dictum proprie est de: *von — weg*, deinde interpellandi notione addita, *im Laufe, während.* Diem *de die* prospectans 5, 48. quum diem de die proferret 25, 25. de die epulari coeperunt 23, 8. sic: 25, 23. Cum consul oriens *de nocte***) silentio diceret dictatorem 8, 23, 3. Relicto firmo praesidio de *vigilia tertia* qua duci proxime potest expeditas legiones ad collegam et ipsum adversus alios sedentem ducit 9, 44. sed: de tertia vi-

*) Tironum caussa liceat hic significare, ex hoc et similibus exemplis facillime perspici modum quo Francogalli genitivum casum de particula apposita designent. Etenim in lingua romana rustica hic vocis *de* usus latissime patuit.

**) Sic enim recte scribunt I. Fr. Gronovius et Drakenborchius, neque recte legitur „oriente nocte" quod plerique codices habent.

gilia navem conscendit 34, 61. sic: 40, 4. et: inde de tertia vigilia profectus 28, 7. Qui regno ita potitus urbem novam conditam vi et armis iure eam legibusque ac moribus *de integro* condere parat 1, 19. init. Sic saepissime 3, 9. 5, 5. 17. 6, 32. 8, 2. 9, 8. 10, 29. 21, 6. 18. 25. 58. 22, 5. 9. 14. 23, 16. 20. 26. 24, 16. 42. 27, 9. 30, 34. 31, 6. 33, 40. 34, 44. 36, 1. 37, 19. 38, 33. 39, 4. 24. 44. 40, 32. 41, 25. 42, 62. 43, 2. 45, 36 bis. Ac quemadmodum quum dicimus *de integro* de praep. adiectivo coniuncta adverbii vicem praestat sic similiter dicitur: *De recto* arma petisse 1, 11. Sed ne *de gradu* quidem libero ac stabili conarentur (mittere tela) 34, 39.

2) Locus porro quo quis natus est atque origo significantur his locis: Volero Publilius *de plebe* homo 2, 55. sic: homines de plebe 6, 13. humillimus homo de plebe 3, 19. L. Albinius de plebe Romana homo 5, 40. de plebe multitudo 5, 39. Porro: accusatores de plebe 6, 19. Tum: P. Scaptius de plebe magno natu 3, 71. M. Caecidius de plebe 5, 32. M. et C. Atinios de plebe Romana 39, 17. Denique: et ipse de plebe erat 8, 12.

3) Originem denique, ut res ipsa fert, causae notio sequitur: Qua *de causa* 7, 3, 5. 34, 61. quibus de caussis 31, 29. quacunque de causa 33, 45. 39, 22. et de quacunque caussa 45, 23. aliis atque aliis de caussis 28, 35. nulla alia de causa 29, 1. simili de causa 39, 36. talibus de causis 42, 42. iustiore de causa 26, 30. duabus de causis 45, 31. — Fides sociorum, quae ad eum diem firma steterat, tum labare coepit, nulla profecto alia *de re*, quam quod desperaverant de imperio 22, 61. Mali rem exempli esse, *de nihilo* hospites corripi 34, 61. *De industria:* cum quibus amicitias de industria egerat 1, 45. sic: 5, 58. 7, 1. 8, 3. 36. 9, 2. 24. 21, 8. 15. 49. 22, 4. 13. 46. 23, 31. 25, 15. 30. 27, 3. 15. 28, 14. 24. 26. 29, 30. 35. 30, 4. 32, 35. 35, 8. 11. 36, 12. 43, 20. Porro: Multa de eo *concilia* populorum Etruriae habita 10, 10. sic: 10, 14. 41, 11. Advocat concilium de oppugnandis Argis 34, 92. quocum conferas: concilium advocandum de eo censerent 22, 53. Num oblivisci nos haec tam crebra Etruriae concilia de mittendis Veios auxiliis patiuntur? 5, 5. Denique hunc locum inspicias; cum concilium ibi iuvenum de quibus adlatum erat invenisset 22, 53. *Concione* de Manlio et Iunio habita 41, 10. De iis, quae in Istria essent acta, in con-

cionem produxerunt (M. Iunium trib. pleb.) 41, 7. Senatum habuerunt de remigum supplemento 26, 35. De re nova vocato senatu 5, 27. quocum conferas: nulla de re neque convocati neque consulti fuerant 24, 22. Qui comitia quaestores habere de reo nisi prius habita de lege essent passuros negabant 3, 24. De pace legatos ad Scipionem decernebat (una tribus) 30, 7. Legatos de pace mittunt (ad. alq.) 2, 18. sic: 9, 45. 10, 5. 23, 13. 25, 28. 29, 12. 30, 42. 31, 17. 19 bis. 33, 13. 39, 22. 40, 42. 42, 23. 24. 43, 4. 44, 24. 45, 23 bis. quibuscum conferendum: legationibus de pace missis 37, 35. Sic: Missi de pace oratores 2, 39. oratores de pace ad consulem miserunt 38, 27. Legatos ad senatum de pace venientis 30, 21. sic: 39, 38. 42, 14. Et: de foedere renovando legati 9, 20. Qui miserant ad Magonem de populorum suorum defectione 29, 36. Conferas etiam: nuntios misit de tradendo Agrigento 26, 40. nuntios de transitu mittebant 38, 16. Tusculum de arce capta nuntii veniunt 3, 18. Ea de quibus arguebantur 36, 35. — Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania facimus bellum 30, 31. Precationem de bello factam 42, 30.

Unde haec cura de me orta 28, 43. tanquam de Samnitibus non de se curam agerent 8, 3. consulem cura de minore filio stimulabat 44, 44. de Philippo auxerat curam Marius 40, 3. de Hasdrubalis adventu in Italiam cura in dies crescebat 27, 36. cum quo loco conferendi sunt hi memorabiles loci: de Arretinis et fama in dies gravior et cura crescere patribus 27, 24. in dies magis de Antiochi bello et cura patribus crescebat 35, 41. vestram de eis curam quam primum absolvi oportet 8, 13. donec cura de Antiocho decessisset 33, 31. Inde: *securus* de bello Romano erat 36, 41. Patres *solliciti* de summa rerum 3, 51. sollicita civitas de Etruriae defectione fuit 27, 21. de Hispania retinenda sollicitis 28, 12. maxime de Achaiae urbibus et magis tamen de Argis quam de Corintho sollicitus 32, 38. solliciti de belli eventu 37, 36. *trepidus* de viginti cohortium adventu 10, 43. Ipsum quidem de se *timere* quicquam vetuit 36, 29. de se magis timebit 40, 11. Patres *metus* de summa rerum cepit 21, 16. hae litterae metum de altero (consule) fecerunt 27, 29. metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendae Aquilejae curam 43, 1. extr. *Religio* injecta de dictatore 8, 15. Nec raptis aut *spes* de

se melior aut indignatio est minor 1, 9. quam opinionem de unico imperio, eam spem de bello haberent 6, 6. exigua de se ipsis spes 6, 33. de ceteris (obsidibus) spes facta 32, 2. Se bene *sperare* de bello et de pace 6, 6. De nobis *desperasti* 7, 13. desperaverant de imperio 22, 61. et: quod de republica non desperasset, ibid. sic: 25, 5. 26, 18. desperare de summa rerum 26, 41. *Gratulatum* de concordia patrum ac plebis venerunt 3, 57. gratulantes de victoria 36, 35. sic: 45, 3. 13. 20. *Gratias* agit de fratris filio remisso 28, 35.

III. Denique quae restant significationes huius praepositionis addamus, explicandas illas maxima ex parte ex altera, quam posuimus, eius notione. Atque haec quidem quum eo potissimum nitatur, ut id a quo quid dirimitur, magis respiciatur, quam ipsa dirimendi actio, in universum aut quo quid referamus (*in Hinsicht, Rücksicht*) aut quid secuti aliquid faciamus (*nach, zufolge*) illa praepositione exprimi potest. Age igitur ipsos locos inspiciamus.

1) Ut de foedere rem ad novos magistratus traiicerent 2, 22. De me hoc tibi persuadeas 3, 21. concessumque ab nobilitate plebi de consule plebeio, a plebe nobilitati de praetore uno 6, 42. Postquam concessum propemodum de victoria credebant 3, 60. sic: 4, 6. 22, 12. totam rem de augendo quaestorum numero omittunt 4, 43. et patres hoc idem de intercessoribus legis adnisi 5, 25. de auxilio nihil impetratum 5, 35. 9, 41. non negatum tantum de captivis, sed — 6, 17. sic: 9, 20. ut minus credi de criminibus appareret 6, 21. suspensa de legibus res 6, 38. tanquam integra sit caussa patriciorum de sacerdotiis 10, 8. nihil de Saguntinis cautum est 21, 18. de quibus recusare aut in posterum caveri sibi vellent 36, 31. malim de filio verum esse 21, 46. cetera omnia de reddendis obsidibus sic ut cum Bostare constitutum erat, acta 22, 22. de exercitu M. Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci atque ibi militare donec in Italia bellum esset, placuit 23, 25. differri rem integram ad patres de Campanis 26, 15. Si consul senatui de provinciis permittit, stari eo, quod senatus censuerit placet 28, 45. sic: 33, 13. 38, 32. de his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicae postulassent, id e republica fideque sua facere ac statuere iussi erant 33, 21. eandem de Smyrna causam ab Antiocho accipite 35, 16.

idem L. Oppio de alteris decuriis exigendis in Sardinia imperatum 36, 2. De frumento utrisque responsum. — De classe Carthaginiensibus remissum. — De pecunia item responsum 36, 4. sic: de agro responsum est 45, 44. Mittite oratores ad consulem qui indutias tanti temporis petant, ut mittere legatos Romam possitis, per quos senatui de vobis permittatis 36, 35. de ceterorum indicum impunitate praemiisque consulibus permissum est 39, 19. iam de deorum immortalium templis qualem contumeliam ad pontifices attulerit 39, 4. de iniuriis — formulam iuris exsequendi constituendam esse 39, 26. cetera scire de se diis immortalibus et imperatori suo curae esse 44, 34. ut quae communiter de immunitate gentis Gallorum, de infestissimo odio in nomen Romanum scitis, ea de illis quoque existimetis Gallis 38, 47. de societate haud abnuunt Galli, de mercede agitur 10, 10. coniurationem de bello factam 6, 2. erant de rebus singulis in breve coactae caussae 39, 47. novari tamen nihil de Lacedaemoniis placuit 38, 32. conferas supra I, 1. mutare de aliqua re (quicquam, nihil) nec provocantes de controversiis ad disceptationem populi Romani audivit 41, 23. nisi de iis rebus satis fecisset 42, 30. regem de iniuriis arbitratu senatus satisfacturum esse 42, 36. si de summa rerum liberum senatui rex de se deque universa Macedonia statuendi ius 42, 62. Quidnam agendum esset de Larissa 36, 10. actum de aliquo s. de aliqua re 1, 47. sic: 2, 18. 30. 55. 4, 38. 6, 16 bis. 7, 18. 27, 9. 21. quid placet de multitudine fieri 8, 20. sic: 23, 3. 26, 33. — Patria quid de vobis meruerat? 28, 27. ita de utrisque meritus 34, 62. ecquis Campanorum de republica nostra bene meritus esset 26, 33. sic bene mereri 23, 12. 30, 8. 43, 8. quanto melius de republica meriti sint qui — 4, 32. de nobis omnibus optime merito 32, 21. sic: 10, 24. 36, 22. etsi male de populo Romano meriti essent 29, 8.

His expositis, in quibus propter universam praepositionis notionem ordinem certum in enumerandis locis sequi non potuimus, quoniam ad ea vocabula, quae sentiendi, cogitandi, iudicandi, certandi, decernendi, nuntiandi, loquendi, scribendi notiones habent, pervenimus, eodem modo quo antea certo quodam ordine illa percensebimus, ex ipsorum significationibus desumpto.

Quae senatus Romani de bello aut pace *sententia* esset 30, 25 haec sententia regibus quum esset de bello 42, 30. De Philippo sententiam meam ha-

